nationes jungunt Germanæ omnes, adeo sermonis nostri imperitæ sint, ut interpretes Romanos accersere necesse habeas. Addidi in epistola, etiam nullo diplomate munitum facilè quemcumvis in patriâ admitti, ditione hosticâ intactâ, me ex officio nihili multum gratiæ aucupari censeat. Tu, si quâ in re majoris momenti operâ meâ uti postulas, habere te scito cui imperes, et salute Uxori dictâ, longum uterque valete. In Castris ad Sylv. D. v. kal: Jul: CIƆIƆCXXIX.

Consedit hostium exercitus utrâque nocte proxima Loonij et Sprangæ. Hodie, uti ab exploratoribus relatum est, vel Waelwici, vel aliquanto Vlymæ propius castra metabitur. Jam itaque in armis continuè excubamus, dubii adhuc quo consilio accesserit.

(102)

J. Golio. Obruis me nimiâ humanitate, Goli clarissime, dum quod commodatò a te satis importune petii, dono me habere vis, quasi ut gratiæ referendæ præcidas ansam. Scito tamen devincire Te duplici beneficio ut indignum Te amicum ita virtutum tuarum, et quam summopere in Te suspicio τῆς πολυμαθείας summum æstimatorem. Oculo itaque Jesuitæ Scheineri, quando ita vis, eâ lege te privo, ut simile a me exemplar proximis nundinis Francofurtensibus expectes. Eâdem enim operâ constitui e Germania accersere, quotcumque ab hoc autore lucubrationes opticæ reperiuntur, quales passim ille allegat, ut Solis Elliptici Phænomenon Augustæ, et de refractionibus cælestibus Ingolstadii editas. Satis prolixè docet. sed me solertia hominis et errori inveterato destruendo diligentia summa capit. Nam, ut multò me nosti rectius, hallucinamur hactenus eâ parte Matheseos maximè, quæ de visione est, et frustra quis pervadere has tenebras tentet, cui refractionum ratio absolutissime non constet. Ecce verò Mi Goli Spartam apprimè te dignam. mox ut magni Snellii nostri

nostri (qui gloriari sedulo cœperat nihil earum amplius
rerum se fugere) cathedram occupaveris. Cui rei quod
Te Senatus Academicus, præter alteram professionem, una=
nimi tantum voto destinauerit, gratulor. certè tibi, sed
Academiæ multò magis et nostris, sua quod bona norint
Musicolis, neque ~~satis~~ prorsus ambigo, quin et hic summæ
omnium de Te expectationi, abundè satisfacturus. Vale
Vir Doctissime et me ama. In Castris ad Sylvamducis
di. Julii cIↃIↃCXXIX.

Viro incomparabili et
amico summo D. Heinsio
salutem plurimam dico.
Architectonis Itali, cujus dum hic esses, mentionem
feceras, adeo memoria mihi non excidit, ut
ipse per epistolam D. Nye rogaverim indicare
velit, quis inchoati operis successus fuerit. Tu si
quid prior inaudiveris, quæso te, participem
me facias.

Vander Burghio. (103)

At Prosam Barlæi, cur eâdem operâ non remittis Mi
Vander Burghi? ~~Charior~~ Charior illa mihi toto Poemate
in quo vehementer miror non offendere te, uno verbo
lasciviam, nec decorè satis Principi nostro nec cætero
sermoni seriò flebilique adscriptam, deleo equidem totâ
paginâ. Octo illa disticha, inter quæ malè eminet. Prælia
nos . . . . . . , nos soli bella geremus. ô Dii boni! Reli-
qua tam Barlæo digna judico, quam indigna ista maximè.
Tu vale, et Epistolam huic tabellario trade. Vucht
17. Jul: 1629.

Tuus
Index Expurgatorius.

Barlæo. (104)

Si tempora hæc consideras, et Reipublicæ nescio quem
statum mirari desines Mi Barlæe, cur segnius ad amicos
rescribam. Non aliàs me graviores occupationes deti=
nuere. Tum vander Dussi absentia distuli m
quod non ille nunc magis præstare libeat ...es sis. Necesse
quam mihi. Accessit infortunium m me tibi dare
quod elegantissimam illam oratio= p Princeps meus fiat.
nem tuam, prosâ scriptam, quam oratiunculæ
nolo

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 28v-29r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/448